

Area F 2014 Sight Recitation
Advanced Poetry - Levels 4 and 5

Conticuere omnēs intentīque ōra tenēbant

inde torō pater Aenēās sic ōrsus ab altō:

Infandum, rēgīna, iubēs renovāre dolōrem,

Trōiānās ut opēs et lāmentābile rēgnum

ēruerint Danaī, quaeque ipse miserrima vīdī 5

et quōrum pars magna fuī. Quis tālia fandō

Myrmidonum Dolopumve aut dūrī mīles Ulixī

temperet ā lacrimīs? Et iam nox ūmida caelō

praecipitat suādentque cadentia sīdera somnōs.

Sed sī tantus amor cāsūs cōgnōscere nostrōs 10

et breviter Trōiae suprēmum audīre labōrem,

quamquam animus meminisse horret lūctūque refugit,

incipiam. Frāctī bellō fātisque repulsī

ductōrēs Danāum tot iam lābentibus annīs

īnstar montis equum dīvīnā Palladis arte 15

aedificant, sectāque intexunt abiete costās;

vōtum prō reditū simulant; ea fāma vagātur.